



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. III LITTERAE APOSTOLICAE **SANGUINIS EFFUSIO**. V. MARIA IN SACELLO SISSANO  
DIOECESIS PARMENSIS DIU IAM

TITULO HONORATA «DOMINAE DE SPINIS» CONFIRMATUR  
DECLARATURQUE CAELESTIS APUD DEUM PATRONA

OMNIUM SANGUINIS DATORUM EADEM IN PARMENSI PROVINCIA Ad perpetuam rei memoriam. – Sanguinis effusio Iesu Christi Domini Nostri, quo credimus quidem laetique fatemur genus esse omne hominum a peccati tandem morte ereptum, luculenter profecto ostentatum spectantium oculis et mentibus veluti inculcatur ex imagine pervetusta illa Beatissimae Virginis Mariae, quae in dioecesis Parmensis sacello excolitur apud locum «Sissa» vernacula lingua appellatum. Ibi enim ipsae cum spinae effingantur, quibus ignominiosum acerbumque Mariae filii mortem subituri sertum est quondam confectum, simulacrum Deiparae idem merito invocatur nomine tituloque «Dominae de Spinis»; ad quod praeterea venerandum pientissime signum frequentes adsiduo Christifideles ex ea provincia confluunt, qui et ipsi sanguinis propria donum aliquando obtulerunt aliis hominibus male habentibus illoque igitur varias ob causas egentibus. Per itaque opportuno consilio ac religionis documento universa consociatio talium sanguinis datorum in regione Parmensi patronam sibi caelestem delegit ipsam «Dominam de Spinis» petitiisque ut proprius Episcopus Venerabilis Frater Hamilcar Pasini approbaret electionem ipse et curaret vicissim ab hic Apostolica Sede confirmandam secundum normas Instructionis «De Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30. Quocirca Nos id genus humanae largitatis ac salutiferae prorsus magnanimitatis plurimi sane aestimantes inter opera evangelicae caritatis libenter omnino complectimur postulationem memoratae consociationis precibusque diligenter motas a Venerabili Fratre Hamilcari Pasini obsequimur studiose, dum hisce ipsis Litteris et Apostolica Nostra auctoritate patronam apud Deum omnium datorum sanguinis in provincia Parmensi confirmamus ac declaramus «Dominam a Spinis» in sacello Sissano diu iam celebratam et dum omnia ac singula iura praerogativas privilegia tribuimus secundum liturgicas rubricas consequentia. Contrariis quibusvis haudquaquam obstantibus. *Datum ex Arce Gandolfi, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Septembbris anno MCMLXXXI Pontificatus Nostri tertio.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1981 - Libreria Editrice Vaticana